# DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

# COLICA PICTONUM.

*AUCTORE THOMA LLOYD.*

Multa habet peculiaria hic morbus teter, quod ad causam spectat, et indicia, itemque nervorum resolutionem, quae semper ferè subsequitur.

Cel. Cullenus, Astruc, et Savaugius, in plures species eum dividunt, veruntamen, ut dicunt et Good, et De Haen,* quod ad curationem morbi spectat, has varietates notare nihil refert, quoniam, cum ab omnibus fere concessum videatur," plumbum morbi causam esse, eadem remedia semper adhibenda sunt.

Cullenus morbum ad Genus Colicae, sequente eximia definitione, retulit.

* Rat. Med. Vol. I. p. 198.

"Colica (Pictonum) praeeunte ponderis vel molestiae in abdomine, praecipue circa umbilicum, sensu; accedente dolore Colico, primum levi non continuo, et praecipue post pastum aucto, tandem graviore et fere perpetuo; cum dolore brachiorum et dorsi, in paralysin demum abeunte."

Omnes propemodum auctores, qui de morbo scripserunt, suum quisque nomen imposuisse videatur. In Opusculo, quod a Francisco Citois, anno 1617, editum fuit, appellatur Colica Pictonum: ab Huxhamo, Colica Damnoniorum: Colica Japonica, a Kaempfero: a Senertio, Colica Hungaria: ab Hoffmano, Colica Moravia: a Wilsono, "Millreek:" in India Occidentali, "Dry belly-ache:" in Germania, Huttenkatze

Mihi placet de morbo disserere sub nomine "Colica Pictonum;" quia, sic a Citesio primum appellatus est, cum in Pictones grassaretur.

Tronchinus, qui libellum pulcherrimum de historia morbi protulit, eum ignotum fuisse Hippocrati putat; multaeque sententiae, quae per opera ejus passim inveniuntur, ut illud, "Αλγημα περι ομφαλον," huic opinioni probabilitatem dant.

Paulus Aegineta, in libro, "De Re Medica,"*

---

* Lib. III, cap. 18.

morbum tam clare pingit, ut procul dubio sit, eum, hanc affectionem non solum vidisse sed etiam tractasse.

Verba ejus retulisse haud alienum erit :—" Nostra aetate, colicus quidam morbus homines vexavit, in quo absoluta motus privatio in artubus consequebatur, et maxime in iis qui superstites evasuri sunt. Verum sensus tactus illaesus conservabatur, unde suâ sponte rediit plerisque morbus temporis progressu."

Apud Avicennam et alios auctores Arabes multa in eandem sententiam invenimus, unde clare patet, hanc affectionem, priusquam scripserit Citesius, haud incognitam fuisse, tametsi ab illo nomen primum acquisiverit.

Primus hunc morbum, in Anglia grassantem, descripsit eximius W. Musgrave, Baronettus, in dissertatione De Arthritide Symptomatica, quae lucem vidit anno 1703. Mirum tamen est, eum nihil omnino proposuisse de signis iis, morbi propriis, ex quibus optime dignoscitur, paralysi nempe, atque epilepsia ; quanquam ex istis quae dicit, nequaquam dubitare possumus, quin haec symptomata ei cognita essent.

Anno 1739, opusculum De Morbo Colico Damnoniorum edidit Doctor Huxham, in quo accura-

tissime exponuntur signa hujus affectionis, et omnia, quae in isto superiore libello defuerant, suggesta sunt. Quicunque hunc libellum perlegit, facile agnoscet morbum Colicum Damnoniorum eundem esse cum epidemico illo, de quo scripsit Citesius, sub titulo "Novus et popularis apud Pictones dolor Colicus biliosus."

Sententiae vero Huxhami de hujus affectionis causis falsae fuerant, quod profecto infra ostendam. Nihil fere de hac re cognitum erat, donec illustris G. Baker opiniones ejus promulgavit, et procul omni dubio posuit, plumbum causam esse veram: illi igitur, ob praeclara, et maximi momenti, super hac re inventa, genus humanum sempiterna beneficii memoria astringitur.

## DE MORBI HISTORIA.

Modus in quo morbus invadit, symptomata quoque, simul et terminationes, adeo diversa sunt et mutabilia, corporisque munera adeo turbantur, ut singulatim recitare, difficillime vel penitus impossibile sit, praesertim iis angustiis, quas, intra decurrendum est.

Colicae Pictonum pariter obnoxia est omnis ae-

tas, sexus, temperamentum ; sed hi, quorum vires convelluntur intemperantiâ, aut aliis quibuslibet causis, quae vires frangunt totumque corpus reddunt minus firmum, magis opportuni esse feruntur : quare eos raro adoriri observatur, qui nullo genere valetudinis prius languerant. Senes, a quibusdam potius dicitur invadere, quam juniores ; at nulli parcit aetati. Multum, autem, secundum Dr. Carte,* ex aetate pendet.

Post pubertatem, multo frequentius accidit resolutio nervorum, quam in junioribus : sed tamen haec opinio parum firma videtur.

Heberden duas species morbi esse existimat,† nempe, species Acuta et Chronica : dolores improvisi vehementesque, viscera et ventriculum tentantes, cum stupore, alvi astrictione, haud raro quoque mania, illam acutam distinguunt, quae in resolutionem nervorum vel mortem plerumque desinit. In eadem specie, " Angor," inquit, " jactatio et vigilia fatigunt aegrotos haud multo minus quam ipse dolor." Oritur plerumque, siquis parum sumpserit plumbi, et diutius idem facere con-

---

* Vid. Percival's Essays on Lead,

† Vid. Comment. cap. 23.

sueverit. In altera specie non semper adest constipatio; dolor initio paroxysmi interdum levis, interdum gravior est. Plerumque paucos intra dies terminatur; interdum vero ad dies usque triginta perducitur, et postea incertis intervallis redit.

Morbus modò, subitò vehementerque incipit, praegresso nullo valetudinis signo; modò paulatim obrepit, nec sine notis praecurrentibus, quae corpus de statu sano deflecturum esse ominantur.

Facies pallida, subflava fit; hebescunt oculi; saepe fatigationis sensus est, et musculorum vires plus minus minuuntur; noctes insomnes; cibi fastidia, ructus frequentes, cum nausea, plerumque etiam miserum vexant. Interdum adest profluvies, sed multo frequentius pertinax astrictio alvi, nihil dejiciens praeter stercora dura et globata. Haec durities alvi ac spasmus intestinorum, a quibusdam, ex sensu motuque fibrae musculosae intestinorum imminuto, nasci dicuntur, per vires plumbi proprias atque eximias adstringentes, praecipue vero sedantes. Haec plumbi sedans facultas, motus peristaltici languorem inducit; mox vero conatus naturae salutares excitantur, unde fit ut facultas illa sit postremùm reâpse quasi incitamentum, et sic intestinorum istae contractiones distentionesque proveniant. Illustris Gregory sic dicit: " Quin

et intestina ipsa, plurima materia acri, et putrida distentia et irritata, ad novas et validiores motus incitantur; qui, si obstructionem superare nequeant, insignem dolorem saepe inducunt, et tormina, et *colicum*, et ileum, et inflammationem, et gangraenam brevi lethalem."*

Plerumque accidit, ut morbum instare significet resolutio manuum: aliquando vero praemonent in variis partibus corporis dolores vagi; haud raro quoque accessus Morbi Comitialis primum est indicium.†

Mania brevis durationis, interdum in initio morbi accidit. In stadiis mitioribus, inquit Wilsonus,‡ adest tantum ad scrobiculum cordis, praesertim prope cartilaginem ensiformem, sensus molestiae et oppressionis; sputum aegrotorum dulce est, colore subcoeruleo, et ei simile, quod, plumbo manducato, expuitur. Pulsus debilis est; cutis cum humore glutinoso humectatur; supervenit debilitas crurum, cum stupore et sensu formicationis, totumque corpus languore afficitur; deficit cupiditas cibi, ac assumpta male concoquuntur. In

---

* Conspect. Medicinae, p. 207. † Med. Trans. Vol. III.
‡ Phys. Essays, Vol. I.

statu hoc ad sanitatem profluvies alvi interdum perducit; diu perstans vero nocet: attamen, haec symptomata, si protracta sunt, et morbo non occurritur remediis idoneis, maximum periculum est. Dolor immanis nunc sedem suam in scrobiculo cordis magnâ parte tenet, tunc usque ad intestina tendens, circa umbilicum potissimum saevit; et inde ad utrumque latus, tanta cum vehementia hominem torquet, ut corpus quasi ligaturâ strictum esse videatur; inde haud raro ad lumbos et dorsum subitò impetum facit, et deorsum secundum ureteres, et per musculos cruris flexores transvolat. Nausea modo levis, modo intolerabilis adest; aliquando cum vomitione materiae limosae, nigricantis, et adeo interdum acris, ut fauces rodat.* Quod ejicitur, aegroto videtur ex sede doloris venire, et fere levamen breve affert; cito tamen, dolor tam magno impetu revertit, ut hominem in desperationem fere adigat. Urinam aut nullam aut paucam reddit aegrotus; plerumque tamen videtur nec sitire, nec febricitare. Musculi abdominales spasmo plerumque convelluntur; in nodos quasi colliguntur circumscriptos, et introrsum retrahun-

* Vid. Huxham De Col. Damnoniorum.

tur; haec retrotractio, ait Tronchinus "contractionis intestinorum omniumque in abdomine contentorum effectus est.*

Aliquando dolor pressura minuitur, saepe tamen minime tangi potest abdomen. Aeger se erigere nequit, sed incurvo corpore, et inclinato capite cubat: id, a quibusdam signum pathognomonicum habetur.† Dum haec ingravescunt, pulsus, secundum Wilsonum, augetur, Warren tamen pulsum a medicinis plerumque sic afficere putat: cutis calida fit, vertigo, et capitis dolor saevissimus accedunt; quibus aut stuporis quaedam species, aut delirium ferox succedit.‡

In hacce Colica, si Warren audiamus, dolores non alternis vicibus minuuntur vel adaugentur, ut in aliis hujus morbi speciebus; sed fere semper dolor eundem cursum tenet per multas horas;§ interdum tamen ex intervallis remittitur: vomitiones sine intermissione urgent, et a dolore augi videntur; si cessant, ructus acidi et singultus succedunt.

Musculi qui vesicam et anum claudunt sem-

---

* Tronchin. De Col. Pictonum.

† Vid. Strack's Works.

‡ Vid. Phys. Essays, Vol. I.

§ Med. Trans. Vol. II.

B

per afficiuntur; stranguria et ischuria quoque adsunt.*

Urina varia est, et nil certi ex eâ cognoscendum est. Sub finem morbi saepe dolent pedes, maximeque eorum digiti; simul quoque rubore et inflammatione afficiuntur, quasi ex arthritide.

Hunc morbum bene et accurate descripsit Huxhamus.†

"Apud Damnonios (inquit) saevit anno 1724, angore ventriculi, summo cum dolore in epigastrio; stipatus pulsus erat debilis, inaequalis, sudor frigidiusculus, lingua obducta, halitus foetens; subsecutus est vomitus nunc viridescens, nunc ater, acidâ, lentaque comitante pituita. Post unam alteramve diem, adstricta fiebat alvus, nec catharsi, nec emetico fortiori cedens. Vomitu paululum imminuto, in regione umbilicali, lumborum atque spinae dorsi saeviebat dolor metiens nephriticum, cum sensu ponderis in perineo; haerebat urina, si fluerat, crassa. Abdomen erat saepius durum, tensum quandoque spasmodicè contractum. Dolor in hypochondrio dextro, tumido, duro, fixus ac urens.

---

* Vid. Hey's Pract. Observ. in Surgery.

† De Morbo Col. Damnon.

Pulsabat saepe epigastrium. Faeces alvinae durissimae, globosae, parvae, quandoque tandem sanguine tinctae, tenesmum excitabant.

"Remittentibus paululum istis doloribus, novi per totam spinam inter scapulas saeviebant, nec immunes erant humeri; brachia, mox manusque motu carebant. Femora et crura dolebant, artuum vix aderat rubor, tumorve. Dum ab intestinis ad artus reperet morbus aderat febricula, quandoque cum delirio. Si sine sedimento per morbi decursum pallida esset urina, nervorum distentio, delirium, manuumve paralysis erat. In hocce stadio, sudor multus, foetidus, acidum spirans, laeviebat dolores.

"Nonnulli, sudore longo, remanente tactu, manuum usum penitus amisere. Miserorum erat solamen paralysis, pedum motu superstite.

"Ubi cum sudore erumpebant pustulae rubrae, prurientes, urentes, evanescebat dolor, optimusque erat morbi exitus."

Praeter haec jam dicta, interdum supervenit amaurosis, cujus exemplum ab illust. G. Baker* refertur, itemque a celeberrimo De Haen.† Nec

---

* Vid. Baker's Essay on Endemial Colic of Devon.

† Rat. Medendi.

rarò mediis in doloribus epilepsia invadit, quae sine interruptione multas horas aegrum vexat. Prolapsus ani, aliquando ab Howship inter effectus morbi esse, multum periculi et molestiae aegro adducens.*

Si perstet morbus, remediis idoneis incassum datis, nova cum saevitia recrudescunt spasmi, adstrictio alvi insuperabilis fit, supervenit enteritis et gangraena, ac denique mors.† Hic exitus tamen, si morbus in initio perite tractatur, minime frequens est.

Temporis spatium, per quod morbus durat, varium est; species plerumque mitior, medicamentis perite adhibitis, paucos intra dies terminatur; gravior interdum ad dies usque triginta, vel per menses aliquot, brevibus subinde intervallis interpositus producitur. In hac resolutione manuum pedumve utrorumque saepenumero est, praegressis doloribus, sensus insolitus et formicatio.

Haecce nervorum resolutio, hoc habet insigne, quod motus tantum deficitur, tactus enim multò acutior et magis vividus, quam in sanitate est, par-

---

* Howship on Diseases of the Intestines.

† Vid. Thomas's Practice of Physic, p. 450; quoque Monro's Morbid Anatomy, p. 247.

tesque resolutae saepe magnopere dolent. Differt haec resolutio (inquit Baker) ab illa quae ex apoplexia nascitur, eo maxime quod, imminutio virium quae ab illa gignitur, gradatim fit; artusque affecti, vix unquam penitus motu carent.

Quibusdam exemplis, soli superiores artus resolvuntur, integri manent inferiores. In tota ea morbi ab Huxhamo descripta specie, paralysis brachia duntaxat occupavit.

Atrophia notabilis saepissime hanc paralysin comitatur, maximeque in musculis circa pollicem conspicitur. Permultis in exemplis, confirmata resolutione, eminentia quaedam dura, et circumscripta, nucis instar moschatae, super manus dorsum, saepe ad extremitatem ossis metacarpi medii digiti oritur; vel, ut inquit De Haen,* "eo praecise loco, ubi radialium extensorum tendines capitibus ossium metacarpi inseruntur, extensorque digitorum communis annulari ligamento emergit. Adparet degeneratio esse membranae, extensorem hunc involventis."

---

* Loc. Cit.

## DE HIS QUAE CADAVERUM INSPECTIO DEMONSTRAT.

Cadaverum inspectio, quae multis in morbis ad eorum sedes naturasque explorandas et indagandas, plurimum, parum omnino in hoc morbo contulit.

Difficillimum est, in morbis praesertim, in quibus nervi et primum et maxime afficiuntur, causam ab effectibus dignoscere. Tronchinus asseverat, in iis crudelissima colica mortuis, plerumque nihil praeter pallida, flatibusque distenta intestina reperitur.

Clarus Senac homines 50 hac Colica peremptos incidit, sed nulla vestigia causae proximae detegere potuit. Idem proponit Fernelius.* Heberden quoque ait: "Inciso cadavere hominis hac colica perempti nullum vitium intus in corpore deprehensus est, quod ad hunc morbum pertinere, mortemque inferre potuisset.†

Unam tantum cadaver cujusdam, hoc morbo

---

* Vid. Fernelius De Lue Venerea.

† Vid. Comment.

sublati, occasionem scrutandi nactus est Baker. Morbus longus fuerat: ventriculum et intestina, ex toto, integra invenit; neque in ulla parte contracta, nec macie confecta fuerant. Jecur minus spatium quam solito occupavit, et quaedam concretiones in vesica fellis aderant. Cerebrum erat mollius, magisque flaccidum quàm sanum esse solet, obductum quoque multo sanguine extra venas effuso. Musculi moles totius corporis color ac firmitas mutata erant.*

Permulta ex scriptis auctorum exempla, quibus comprobarentur ea, quae dixerimus, citare possemus, nisi id nos ab incepto longius traheret.

De Haen tamen affirmat se saepe vidisse intestini Coli arctationes, et amplificationes stupendas; vestigia inflammati ventriculi, atque omnia fere viscera ex suis locis dimota.

Lieutaud quoque inquit, praeter pulmonum et pleurae vitia, duodenum, et jejunum, ileumque hinc illinc inflammatum.

---

* Med. Trans. Vol. II.

## DE CAUSIS.

Multum et vehementer olim, quod ad causas pertinet ex quibus morbus nascitur, apud auctores disputatum fuit, donec opiniones suas promulgavit illust. Baker. Inter causas varias quae morbum afferre existimabantur, satis erit mihi paucorum maxime notatu dignorum mentionem facere.

Tronchinus causam esse dicit aut crisin imperfectam, aut curationes febrium vel podagrae vel rheumatismi inconsulto tractatas; venena, quoque vina, aut potus acidos, perspirationem obstructam, materiem scorbuticam, melancholiam, animi pathemata, et fructus acidos aut vegetabilia acida. Alii auctores, scilicet Willis, Spigelius, Hoffmanus, Musgravius, et Huxhamus, similes sententias habuerunt. Musgravius sic ait: "Alia vera Colica, apud Damnonium, ex pomacio immiti et acido, nimis usurpato derivatur, id quod ex eo liquet, siquidem illos solum infestat, qui potioni isti assuevere, eademque ratione qua sunt assueti; sic ut iis tempestatibus, quae pomacii abundant crescant, et in vulgus ea grassetur, contra vero, Pomona copiam negante, rarius observetur."

Minime negatum est, quin ex quibusdam causarum, de quibus jam supra diximus, intestina saepe afficiantur, fere simili modo quam in Colica Pictonum; tamen si scripta eorum attentè diligenterque consideravimus, facile patebit, in omnibus fere exemplis, ab illis positis, Colicae Pictonum verae, plumbum aliquo mòdo assumptum fuisse.

Quid? quod plumbum saepe adhibitum fuit contra illas affectiones, ex quibus hic morbus evenire dicebatur, neque putabant illud corpori ulla ratione nocere posse? Sed vir ille ingeniosus Baker, nullum laborem fugit has opiniones supervacuas et perniciosas radicitus evellere.

Morbum incognitum in terris Orientalibus fuisse audierat, cum Turci, qui religione a vino abstinere coguntur, liquorem quendam acidum potarent Anglicè dictum "Sherbet:" nec Equisones quamquam haustos frequentes aceti capiunt ad corporis gravitatem minuendam, hoc malo affici vidimus. Puellae chlorosi laborantes, in quibus ventriculi multo acido abundant, aequè a malo immunes sunt.

Praeterea, fructus aut liquores acidi, si ullum morbum inducere queant, saltem huic simile nihil possunt creare. In specie ea Colicae quae ab usu fructus immaturi et acidi aut ab aqua impura nas-

citur, profluvies alvi plerumque est; sed in hac Colica Pictonum alvum maxime adstrictam esse videmus.

Succus vegetabilis et plumbum, nil inter se habent similitudinis; sic credibile haud est ex causis tam diversi generis, corpus eodem modo affici.

Satis constat insuper ex multis auctoribus, Plumbarios, Figulos, Pictores quoque, quibus praecipue est morbus infensus, levamen magnum accipere, ex usu supertartratis potassae. Testantibus quoque medicis et viatoribus, in regionibus calidis, acida vegetabilia idonea remedia in dysenteria et spasmis habentur.

Ex his facile colligitur, omnes sententias de origine hujus morbi respuendas esse, praeter eam, quae morbum plumbo attribuit.

Pensum haud leve esset, vias multas enumerare, quibus, sine aegroti notitia, plumbum in corpus accipi potest: aeque autem venit morbus, sive per nares ingreditur plumbum, sive ventriculum, sive cutem.

Cl. Baker experientiâ fretus, affirmat morbum creatum ex absorptione particularum plumbi vestibus emanantium, Plumbariorum, et Typographos saepe a typis, nimis calefactis, tractatis, digitorum debilitate, et contractionibus affectos fuisse. Ex-

empla insuper, quae huc faciunt, a Doctore Reynolds et Cl. Percival narrantur. Mala interdum derivanda sunt a cibo, quoque in manticis servato, quae vaporibus plumbi subjectae fuerant; pauca ad hanc sententiam confirmandam exempla attulit eximius Sentin. Tissot, atrocissimas colicas a saturni saccharo natas esse exemplis et observationibus suis confirmat.

Negari tamen de plumbo non potest, quod similiter de omnibus, quae in nervos agunt, medicamentis verum est; multos satis magnam illius copiam impune ferre, et quidem ab ea dosi quae alios misere excruciare observatur, vix affici.

## DE DIAGNOSI.

Quoniam perpauci sunt morbi quibuscum hic morbus confundi potest, diagnosis paucis absolvitur.

Tres affectiones tantum sunt, ut mihi videtur, quorum de diagnosi ulla difficultas esse potest. Hae forsan sunt, Colica vulgaris, Podagra atonica, et Enteritis: sed symptomatis uniuscujusque morbi benè perpensis, satis facile plerumque potest fieri distinctio.

A Colica vulgari dignoscitur ex alvo diu adstricta, signis quoque morbi gradatim ingravescentibus, pulsu arteriarum, facie aegroti, et morbi historiâ, sed prae omnibus, resolutione illa nervorum insigni quae motum tantum artuum, superstite sensu, adimit. Atrophia quoque a plumbo insignior quam ex quavis alia causa existit.

A Podagra atonica non tam facile distingui queat, maxime ubi dolor ab initio ventrem fixus occupat: plura habent signa communia, qualia sunt nausea, vomitus, tumores articulorum et quarumdam partium debilitas. Podagra autem certis plerumque temporibus invadit; divites saepius quam pauperes infestat, et articulos minores in longè pluribus exemplis primo adoritur: demum illa insignis atrophia musculorum, praesertim pollicis, de qua jam supra diximus, forsan etiam proclivitas ad arthritidem, rem aperire possit.

Quod ad Enteritidem attinet, illa ab hoc facillimè dignoscenda est, ut inter omnes convenit, si illius signa diligenter respiciantur. Notae enim, quibus enteritis imprimis cognoscitur, huic morbo fere semper absunt; praesertim dolor in Colica Pictonum pressurâ levatur, nec fere febricitat aeger. Retrotractio umbilici ad dorsi spinam in Colica Pictonum fit; in qua etiam, primo sensus mo-

lestiae plerumque in ventriculi regione sentitur, alvus adeo est adstricta ut clysteres administrari non possunt. Quinimò remedia aptissima quae aegris enteritide laborantibus, salutem restituant, missio praesertim sanguinis, haudquaquam ad Colicam Pictonum curandam valent.

## DE PRAESAGIIS.

Praemissis omnibus quae ad signa et causas pertinent, sequitur ut quasdam notas explicem, quae vel spem vel periculum ostendunt. Semper plus minusve periculi adfert morbus, ideoque semper cautè dicendum est. Quanquam enim morbus levis est, et remedia perite et tempestivè adhibentur; tamen vix unquam liberatus est aeger infra dies quinque vel sex. At vero, si morbus gravioribus signis stipatur, aut si medicus peritus, non tempestivè accersitur, per multas hebdomadas, etiam menses saepè protrahitur. Valde sunt obnoxii ad alteram tentationem, convalescentes ex hoc morbo ancipite. In initio morbi ideoneis remediis ferè semper vincitur; et si per aliquot dies adhuc persistiterit, modo ne sit inflammatio neque spasmus, nec vomitus assiduus, nec longa alvi adstrictio, spes salutis adhuc superest.

Eventum autem infelicem indicant, dolores vehementes lumborum et capitis, cum febre, cibi fastidium, pulsus inaequalis, imminutio virium, et omnia assumpta statim rejecta. Convulsio aut epilepsia plerumque mortem instare significat.

## DE PROPHYLAXI.

Jam supra dictum est, maxime obnoxios morbo regredienti eos esse, qui semel laboraverunt, haud necesse erit dicere, ab iis, qui artes exercent aut destinentur negotiis, in quibus plumbum adhibetur, et vapori hujus metalli expositi sunt, quàm cito ad alios et minus nocentes quaestus confugiendum sit. Sin, autem, ex causis quibusvis, hoc fieri non potest, tunc si Wilsonum* audiamus, graviores morbi impetus, certa quadam ratione, vitari possunt.

Maxime igitur, cibos pingues, jura atque alia ejusdem generis, ad impetum hujus morbi primum sustinendum laudat. Similis fuit sententia De Haen, " Prandiumque," ait, " quod ex lardo, aut

---

* Medical Commentaries.

pingui carne bubula, ipsis quotidie adornatur, eundem ipsis effectum pomeridiano tempore praestat. Estque olei butyri, pinguisque juris, cum multo pane usus, optima prophylaxis opificibus illis, qui metallis praeparandis, miscendis, adplicandis victum quaeritent." Commendat Wilsonus exercitationem modicam, eamque sub dio, dicitque a vino, potionibusque meracis diligenter abstinendum esse.

Summum praecipiendum est iis, qui in oxydis aut pigmentis plumbi facientibus occupati sunt, ut munditias studiosè colant; nec unquam cibum sumant illotis manibus, et vestimenta induant nulla alia occasione utenda.

Bene notum est, multos, et ex quibusdam exemplis, totas familias in hunc morbum incidisse ex aquae usu, in cisternis plumbeis diu servatae, item a vinis levioribus Gallicis aut Germanicis, quorum acerbitas plumbo mitigata fuerat; siquidem plumbi oxydum vini acido conjunctum acorem reprimit et saporem gratum impertit.

In certis Angliae regionibus ubi multum potus ex pomis conficitur, quo tempore mos iste nefarius plumbum commiscendi invaluit magis quam nostris temporibus, morbus frequenter in populos gras-

satus est. Exempla hujusmodi multa ab Huxhamo, Warren et aliis narrantur.*

Multum olim disputatum fuit, quo modo aqua pura plumbumque sese invicem afficerent: ex experimentis autem quae fecit Percivalius, satis constat, aquam puram nequaquam plumbum solvere posse. Sin autem per canales plumbeos fluit aqua fontana, aut si diu servata est in cisternis ex plumbo factis, saepe valde noxia fit, nam plumbum solvitur acido carbonico quod in aqua hujusmodi saepe satis magna copiâ existit, vel ab acido sulphurico et muriatico, quae aliquando etiam adsunt, cum calce, sodâ, aut magnesiâ conjunctis. Saepe adest quoque acidum aceticum in aqua per longum tempus servata, ex vegetabilium fermentatione, et tunc formatur acetas plumbi. Aceta etiam et lac si in fictilibus plumbo illitis servantur, semper hoc metallo inquinantur; itaque expedit, si quando vasis coquinariis ex plumbo factis opus erit, aut tantum, aut etiam plus stanni cum altero commiscere, quemadmodum a Vauquelino propositum est.† Stannum enim, sive per se, sive cum alia quapiam

---

* Vid. Med. Trans. Vol. II.

† Annal. de Chemie, Tom. 57.

re conjunctum, nullo modo nocere potest; idemque si quid oxygenii adest, acidive, multo majore vi, id ad sese allicit atrahitque, quam plumbum.

Quum saepè plumbum consulto detur, magni interest cognoscere quando id factum sit: quare, multis rationibus, quas hoc loco referre haud convenit, penitus omissis, unam tantum proponam, qua, minutissimam plumbi particulam facile detegere possimus. In liquorem suspectum, primùm fervefactum, hydrogenium sulphuris immittitur, et si plumbi aliquid est, nigerrimum quoddam descendit. Deinde liquor, igne prius subdito, colatur, et abjicitur; nigrum istud reliquum diligenter exsiccatum, et cum una parte acidi nitrici, tribusque aquae commistum, in arenâ calefactâ ponitur; tum post breve tempus, liquor colatus in vapores solvitur, nitrate plumbo relicto. Quin et si hoc plumbi nitras in aqua solutum est, sodae sulphas ei commixtum facit ut album quoddam unum petat; potassae hydriodas, ejusdemque chromas, aurei coloris. Porro si carboni impositum est, ignisque per fistulam sufflatur, globuli aliquot protinus conspiciuntur.

## METHODUS MEDENDI.

Curatio duplex est, nam et spasmus resolvendus est et alvus movenda.

Tres rationes, ait De Haen, apud auctores varios sunt, hanc affectionem curandi ; nempe per emetica et purgantia, per emollientia et purgantia, et per emollientia, tam ab exteriore parte, quam intus adhibita. De prima ratione ait, " Methodus per vomitoria curandi infelix esse potest ; plures integre curare potest ; potest multos levare, at vero a relapsu non praeservare."*

In altera, ait, " minus frequens convulsio observatur, aegri minus defatigantur ; caeterum idem qui prioribus, sed aliquando tardior, seu curationis, seu impetratarum induciarum, contingit effectus."

Tertiam, summa cum laude suadet, et multa narrat exempla, ubi paucos intra dies ad sanitatem perducti sunt miseri.

Dicit Warren, salivâ per hydrargyrum motâ,

* Rat. Med. Tom. I.

spasmum solvi, et intestina muneribus suis rursum fungi.

A Cl. Percival alumen multum commendatur, ait enim, granis quindecim cum gummi arabico conjunctis, quarta, quinta, vel sexta quaque horâ datis, alvum plerumque leniter moveri, quod brevi dolorem mitigat, aut penitus tollit.

Opium ob vires antisposmodicas quibus pollet, ab omnibus magnum huic morbo levamen adferre dicitur; igitur semper dandum est. Saepe tamen tam male afficitur ventriculus, ut statim rejiciantur medicamenta; nec satis longum maneant, ad effectos optatos edendos. Cum ita res se habeat, modo opium adhibendi, qui, a Ward* primo propositus fuit, maxime conveniet uti. Dicit ille, sese periculis multis factis, haec collegisse, "1*st*, That opium diligently applied externally, so as to be absorbed by the lymphatics, has powerful effects in allaying irritation, removing spasm, and procuring sleep. *2dly*, That it is capable of producing these happy effects, where the exhibition of it internally had not the same salutary operation. *3dly*, That this mode of introducing it may be resorted to

* Vid. Med. and Phys. Journ. for July 1799.

with advantage, when it cannot be given internally, or when it will not sit on the stomach."

Praeterea, tincturae opii octaginta vel centum guttae in enemate satis commode dantur.

Si spasmi et dolores, remediis quae jam explicavimus tollentur vel mitigantur, tum ad rem erit, intestina quamprimum evacuare.

Ad hoc consilium, mitioribus catharticis, ut oleum ricini, magnesiae sulphas, vel tinct. sennae, plerisque utuntur; nam aiunt experientiam comprobare cathartica valida initio administrata, dolorem augere, protrahere, et etiam opium pacatum renovare: vesicatoria, a quibusdam dicuntur, abdomini imposita, haud parum levaminis attulisse, et catharticorum opus accelerasse.

Convenit aliquando hydrargyri submurias dare, praesertim si valde irritabilis sit ventriculus, et aeger perpetua vomitione vexatur.

De sanguinis missione multum discrepant auctores; plerique, et inter eos, praesertim Cl. Huxhamus, hoc remedium omnino increpant; quippe, quod omnia signa pertinaciora, sublatu difficiliora reddat; debilitatem augeat, et sine dubio paralysin saepe inducat; cujus rei exemplum refert De Haen. Quocirco, ad hoc remedium ne temere quidem confugiendum est.

Si tamen aegrotus juvenis et pleni corporis est, vel inflammationis nota superveniunt, tunc medicum sine morâ sanguinem mittere oportet, nam, omisso hoc remedio, morbus aliquando brevi inflammationem et haec gangraenam subitò inducit, ut narrat Dr. Thomas.*

Maxime prodest, abdomen et femora aquâ frigidâ subito perfundere; nam hoc modo morbus, aliis remediis frustra adhibitis nonnunquam tollitur.

Opportunitates hujusce Colicae contemplandae multas nactus sum, dum studiis in Valetudinario Comitis Dublini incumbebam, et me oportet remedia notare, quae, tam peritè et faustè adhibita sunt, ab illo eximio medico, Dr. R. J. Graves, cui ob beneficia erga me aeternas gratias habeo.

In paroxysmis gravioribus, imprimis abdomen fomentis e foliis nicotianae tabacci assiduè fotum fuit, donec nausea et pulsus imminutio essent; ab ea insigni virtute sedativa, qua pollet. Infusio facta est ex tabaci foliorum ℥ss binisque aquae libris. Nauseante aegroto, statim dabantur olei cro-

---

* Vid. Thomas's Practice of Physic.

tonis gutta una vel duae cum extracti colocynthidis comp. granis decem vel quindecin conjunctae. Hac ratione, in omnibus morbi exemplis quae vidi spasmus cito sublatus fuit, alvus copiose descendit, sudore sequente cum magno symptomatum levamine.

Spectatissimus ille, Doctor Graves, tabaco semper utitur fomenti formâ, hac potissimum ratione quod multo certiores, faciliusque cohibendi sunt ejus effectus, quam si per anum inditur, quod sine magno periculo nunquam fieri potest, ut testantur celeberrimus A. Cooper et Dessault.* In casibus omnibus, in quibus fomentum hoc adhibitum vidi, magno beneficio erat.

Quum morbi impetus hoc modo nonnihil repressus esset, alvus tenera servabatur, assumpto medicamine ex oleo ricini, opioque confecto; atque etiam ventri opium et oleum olivae illita sunt, ubi quidem fascia lanea commodissimè imposita est. Imo et prodest emplastrum cantharidis ibi imponere; et item in balneum descendere.

Quod ad paralysin attinet, sic quidem feliciter

---

* Vid. Œuvres Chirurg. T. II.; Med. Surg. Jour. Vol. IX.; etiam Conspect. Medicinae, c. 35.

curata est. Membra, ut bene praescribit Pembertonus, assulis confirmata sunt, spinaeque illitum ex antimonio tartrite unguentum, ad hoc, pilulae ex Magendiana mente confectae, quarum utique singula Strychniae grani habebat dimidium, bis quotidie sumebantur, illaeque postremum quinque. Hinc factum est, ut membra cito dolere et calere inciperant, viriumque iis aliquantulum accederet. In uno autem homine tendinum in superioribus extremitatibus erat subsultus. Nitras etiam argenti, ad quinque grana quotidie, contra hanc paralysin commode datur; et enim eo magis prodest, quod alvum nonnihil movet. Balneo saepissime utendum est; et eo potissimum, si fieri potest, quod ex naturâ calidum est. Itidem expedit cortice Peruviano assidue uti, aliisque ejusdem generis, et medicamentis ex ferro confectis, frictionibusque scopulâ quotidianis, et denique vi electrica. Aeger sibi laneam inducere debet subuculam, lacte magna ex parte vivere, seque leniter exercitare. Alvus per totum morbi tempus tenera servanda est.

FINIS.

Excudebat Duncanus Stevenson,
*Academiæ Edinensis Typographus.*